

386

384

390

inclusi essemus, per inspecta tamen loca copiosa aqua influxit,  
madidique atque compressi sedimus. Gratus autem fui Domino  
Deo, quod illos dominos reperi, quia si ad eorum cumbas receptus  
non fuisset, per totam illam noctem in aquis fuisset, et omnes  
fluctus super me induci fuissent, sicut sunt omnes in superioribus  
manentes. Verum tempestas illa fuit delectabilis, nec erat in classe,  
qui ea carere voluisset, quia itinere nostro repentina volatu pro-  
ficiiscebamus, eadem enim nocte usque in Histriam rejecti sumus,  
nam in solis ortu vidimus Polam, Histriae vetustissimam urbem,  
et ejus portui non longe aberamus. Gavisi autem sumus, nos in  
regionem venisse nobis ex nomine non ignotam, nam Danubius  
etiam fluvius terrae nostrae orientem petens, quam cito Illyricum  
tangit, nomen nobis notum amittit et Hister sive Ysterus vocatur,  
et inde Histria regio. Quidam dicunt, quod brachium quoddam  
a se emittit Danubius contra mare Adriaticum, et illud Hister vo-  
catur et regioni nomen partitur. Hoc brachium quamvis non  
sit navigabile, tamen Jason adepto aureo vellere ex Colchis per  
illud brachium navigio penetravit usque in mare Adriaticum. In  
locis tamen, ubi omnino navigare non fuit possibile, navem hu-  
meris impositam portaverunt fortissimi illi Argonautae. Verum  
antiquiores Argonautarum navigationem multo amplius extende-  
runt, ut patet supra. Insuper moderni dicunt, Polam civitatem  
a Colchidis incolis esse aedificatam, alio tamen, nescio quo, no-  
mine vocatam. Pola autem hoc nomen illo casu adepta est. Qui-  
dam enim Graecorum rex, dum a Graecia usque ad Polam omnia  
vastasset et in obsidione Polae diu laborasset et multum populum  
amisisset, tandem taedio fractus dixit: Pola, id est, sufficit, in  
lingua Graeca, et ita recessit nomen civitati derelinquens.

De hac civitate Pola fuerunt, ut fertur, illi duo impiissimi et  
crudelissimi tyranni, Diocletianus et Maximianus, de quorum assump-  
tione ad imperium talis fertur historia. Erant hi duo immanum  
corporum rustici et socii, concives Polenses, agriculturae dediti  
et non nisi ruralibus vacantes; ideo Martinus in Chronica, quod  
Diocletianus sit obscure natus et Diocletianus Dalmateus dictus.  
Quamvis alii dicant eum cujusdam scribae filium. De quo non  
euro; ad historiam inceptam progredior, quae habetur in Chronica  
Hermannii. Cum imperator Carus functus vita fuisset, concordare  
Senatus populusque Romanus non potuerunt de imperatore eligendo,

380

395

375

435

335

485

285

Ende

Anfang

